

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Miseria 1
cum fonte primo

Consideranti tibi quid sis, occurret tibi homo nudus et pauper et miser et miserabilis; homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurans quod sit homo natus ad laborem, non ad amorem; homo natus de muliere et ob hoc cum reatu; breui uiuens tempore ideo cum metu; repletur multis miseriis et propterea cum fletu, et uere multis quia corporis et anime simul.

Bernardus ibidem (in sermone).

Si cuncta haec, veluti nubes quasdam matutinas, velociter transeuntes et cito pertransituras, dissipes et exsuffles a facie

considerationis tuae, occurret tibi homo nudus, et pauper, et miser, et miserabilis: homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurans quod sit; homo natus ad laborem, non ad honorem; homo natus de muliere, et ob hoc cum reatu; brevi vivens tempore, ideoque cum metu; repletus multis miseriis, et propterea cum fletu. Et vere multis, quia corporis et animae simul.

Bernardus Claraeuallensis, *De consideratione libri V.*, 2, 18 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.426, ll.1-8).